





Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-183775-p0001-4

DFG





1748.

1. Bockenstock, Dr. Petrus, &c : De legitimus et supremo
capite ordinis Aurei Vellereis ad, illustrissimum
articuli 13. praecliminarium pacis.
2. Brueckmann, Dr. Georgius : De filio familiæ in genere
paciente, in specie mutuum contractante et multiore
intercedente
3. Heiland, Georgius Franciscus : De investitura circa pœna
regalia Comtum ac baronum et quatenus ea Sacri
R. Imperii vicarii competit.
4. Schorch, Hieronymus Fredericus 1.b.s. (ad Disputationem
nem in ang. Caroli Rocki Lethmanni invitatum).
5. Schorch, Hieronymus Fredericus . . . 1.b.s. (ad Disputationem
nem in ang. Jo. Petri de Bockenstocki invitatum).
6. Schorch, Hieronymus Fredericus, Faust. jur. decanus -
1.b.s. (ad Disputationem in ang. Georgii Francisci Heiland
invitatum).

7. Schorch, Hieronymus Fridericus, Facult. iuris Sacrae Decanus
nus 1. b. s. (ad Disputationem in mag. Thesaurus "Goulli"
Lobigie invitatus).
8. Schorch, Hieronymus Fridericus, Facult. iuris Sacrae Decan.
nus 1. b. s. (ad Disputationem in mag. Andrei Henrici
Zerckii invitatus).
9. Schorch, Hieronymus Fridericus, Facult. iuris Sacrae Decanus:
1. b. s. (ad Disputationem in mag. Henr. Wille Friderici
Wenzelii invitatus).
- 10 Schorch, Hieronymus Fridericus, Facult. iuris Sacrae Decan.
nus 1. b. s. (ad Disputationem in mag. Friderici Gerold.
ni Radoffs invitatus).
11. Schorckius, Hieronymus Fridericus: De singularibus
jambis circa inuenta matrinovicia principium
et statuum imperii.

12. Schorckius, Hieronymus Fiduciarius: In petitum
in foro possessori finiti, etiam in casa, quo iuris
possessori finiti simul res est, mox debet?
13. Schorckius, Hieronymus Fiduciarius: De appellacionis
effectu tam suspensivo quam devolutivo.
14. Schorckius, Hieronymus Fiduciarius: De praecipuis
versaliis iustis circa fudentem.
15. Schorckius, Hieronymus Fiduciarius: De efficacia
hypothecae ab emtore ante renigationem
domini: in re emte alteri: immobili consti-
tutae.

1749.

1. Henne, Rudolphus Christph: De coniuge bineti vel binetac
et bonis hujis un plus capieall quam aliquis liberorum
froris matrimonii minimam portionem accipitrus art. 6 C.
de secundis nuptiis.

2. Schorch, Hieronymus Fridericus, Facult. iur. Sac
Decanus 1. b. s. (ad Dissertationem in ang. Georgie
Gaspri Thynni invitat).

1750.

3. Schorckius, Hieronymus Fridericus: De jure domini juri
dictioris altae, subditos domini juri dictioris bassae
immediate, et sine hujus requisitione, ad praestandum
instrumentum fidei publicis promissionibus . . . , nec non
et omnes in causis criminalibus obvenientes ac
causandi . . .

1750.

1. Brückmann, Dr. Georg: De diversis traditionum mortis
coramque effectibus .

2. Schmette, Henricus Melchior, Facultatis iur. Sac Decan
1. b. s. (ad Dissertationem in ang. Friderici Grotti Schenckler
invitat)

1750.

3. Schuette, Henricus Melchior: De eo, quod justum est a ree probacionem mortis absentis.
4. Spitz, Ich. Christopherus 1. b. 2. (ad Dissertationem mag. Christopheri Friderici Milleri invitata).
5. Spitz, Ich. Christopherus; Facult. iuris et decaanes 1. b.
56. Prosp. sp. p. p. t. o. n. e. m. i. n. g. F. V. i. c. i. d. B. e. s. s. i. m. i. n. t. d. (Spitz, Dr. Christopherus, f. 1. j. 2. Decanus; Programma dissertationis mag. Christopheri Milleri invitaatione).
6. Spitz, Dr. Christopherus: De obligacione dominii erga vasallum.
7. Stielers, Eustachius Ernestus: In licet obignare in alio territorio res hereditarie.

1751.

1. Brückmann, I. Georg: De permisso ab insidias vitastructas Novitio.
2. Brückmann, Fr. Georg: De impostibili canonico juri de his loco, quod a de conditiones imponitibus actibus humanis apponit justum est.

1757.

- 3^a. Schorch, Hieronymus Fiderius: *Res, quae justam est circa
exallum praedium fideale aignantem.*
3^b. Thymianus, Dr. M. Salabri LLL. Inforim.
4. Schwartz, Drago Siegmund David: *De iusto et legitimo esse
decidendi causis secundum argumentationis legis et specie-
rum De applicatione legis & lsd. De rescindenda avaria.*
5. Spitz, Dr. Christophorus, Collegii juridici Decanus 11
et lect. cursoriam . . . et Dissertationem inq. a. Petri
Gottspieß Gerhardi . . . habentes . . . invitatis.
6. Spitz, Dr. Christophorus, Facultatis juridicae Decanus . . .
et lect. cursoriam . . . et Dissertationem inq.
Francesco Josepho Wille . . . habentes . . . invitatis.
7. Spitz, Dr. Christophorus, Facultatis juridicae Decanus . . .
et lect. cursoriam . . . et Diss. inq. . . . a. Carolo
Gottlob Koch . . . habentes . . . invitati.
8. Spitz, Dr. Christophorus: *De natura et effectu constituti-
onem.*

9. Fricker, Coss. Wilhelm, Facultatis iuris Sacrae Decanus . . .
ad lect. cursus . . . et nro. inaug. . . a Christiano Ludv.
viro Gerskenburgh . . . habendas invitatis.
10. Frickerus, Conradus Wilhelmus. De collegio ciuiis Trauers-
fortensis, coronique officiis, iuribus et praec-
rogatiis.
11. Fricker, Coss. Wilhelm, Facult. iuris Sacrae Decanus . . .
ad lect. cursoriam . . . et nro. inaug. solam . . .
a Christop. Lijomundo Mullero . . . habendas . . .
invitatis.
12. Fricker, Coss. Wilhelm, Facult. iuris Sacrae Decanus,
ad lect. cursoriam . . . et nro. inaug. . .
a domino Augusto Danilo Schwartz . . . habendas
invitatis.

22

1749/1

Erg. num. 32.

16

DISSERTATIO JVRIDICA

DE

CONJVGE BINVBI

VEL

BINVBAE EX BONIS HVJVS
NON PLVS CAPIENTE,
QVAM ALIQVIS LIBERORVM
PRIORIS MATRIMONII MINIMAM
PORTIONEM ACCIPIENS,
ad l. 6. C. de secundis nuptiis.

P. 406

QVAM

DIVINO ANNVENTE NVMINE

CONSENTIENTE

ILLVSTRI JCTORVM ORDINE

IN PER-ANTIQUA ELECTORALI ACADEMIA

ERFVRTENSI,

PRAE SIDE

PRAENOBILI ET CONSULTISSIMO VIRO

DN. RVDOLPHO CHRISTOPH. HENNE,

JURIS VTRIVSQUE ET PHILOSOPHIAE DOCTORE, NEC NON INSTITVTIONVM
IMPERIALIVM PROF. PVBL. ORD.

DIE IX. JULII M DCC XXXXIX.

IN AUDITORIO JVRIDICO COLLEGII MAJORIS

PVBLICO ERVDTORVM EXAMINI SVBMITTIT

JOHANNES ZACHARIAS SCHROETER, ERFVRTENSIS.

ERFORDIAE,

EXCVDIT JOH. CHRISTOPH. HERING, ACADEMIAE A TYPIS.





Q. D. B. V.

CONSPECTVS DISSERTATIONIS.

- | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|--|---|--|---|---|---|--|--|--|---|--|---|---|--|
| <i>§. I.</i> Odium Germanorum in secundas nuptias recenset. | <i>§. II.</i> Odia Juris Canonici erga secundum matrimonium refert. | <i>§. III.</i> Quam exosa fuerint Romanis secunda nuptiae indicat. | <i>§. IV.</i> Verba legis, quam enucleandam summis contineat. | <i>§. V.</i> Primum casum in lege contentum, ac unum saltim liberorum prioris thori respiciendum, indicat. | <i>§. VI.</i> Secundum casum, supponentem plures liberos, a quales tamen portiones capientes, prodit. | <i>§. VII.</i> Tertium casum, inter plures liberos in aqualem successiōnem singentem, refert. | <i>§. VIII.</i> Ea que supra de patre et matre allata sunt, ratione dispositionis inter liberos prioris thori in casu quarto ad aurum et aviam, proavum et proaviam, respectu nepotum et neptium, | <i>§. IX.</i> Quoad casum quintum refert, quid juris sit, ratione parentum, contra legem nostram disponentium. | <i>§. X.</i> Mutationem Justiniiani circa legem nostram, recenset. | <i>§. XI.</i> Disquirit, utrum dispositio legis nostra pena vocari possit. | <i>§. XII.</i> Acquitatem legis defendit. | <i>§. XIII.</i> An dispositio huic legi contraria in totum, an in tantum, invalida sit, indagat. | <i>§. XIV.</i> Quodnam tempus, in dijudicanda dispositione legi contraria, inspicendum sit, inquirit. | <i>§. XV.</i> Inquirit, utrum illud quod plus vitrico vel novocca relatum, et a liberis prioris thori revocatum est, ipsis in legitimam imputari queat? | <i>§. XVI.</i> An supplementi legitime, in computanda portione vitrico vel |
|---|---|--|---|--|---|---|---|--|--|--|---|--|---|---|--|

- vel noverce relicta, etiam ratio
babenda, inquirit.
- §. XVII. An donatio facta liberis
secundi matrimonii a parenti-
bus altero illorum stipulante,
invalida censenda, disquirit.
- §. XVIII. Tradit, illud quod, ut
plus relictum, a liberis prioris
matrimonii, avocatur, a nover-
ca vel virtrico non posse in di-
visionem vocari.
- §. XIX. Binubum portionem suam
pleno jure capere ostendit.
- §. XX. Dispositioni legis locum ef-
fe, evincit, etiam si liberi prio-
ris thori & conjux defunctus
in secundas nuptias consen-
sint, vel princeps dispensave-
rit.
- §. XXI. Argumenta profert, usum
fori legis impugnantia.
- §. XXII. Responsonem dubiorum
continet.
- §. XXIII. Argumenta usum fore
infringentia, removet.
- §. XXIV. Prajudicio sententiam
nostram confirmat.
- §. XXV. Communione bonorum,
in diversis Germania provinciis
obtinentem, huic legi repudium
dare concedit.
- §. XXVI. Si in portione statutaria
plus continetur, quam lex no-
stra concedit, pariter illam exu-
lare, observat.
- §. XXVII. Animadvertisit non u-
sum hujus legis in Saxonia, quo-
niam ibi maritus heres uxoris
mobilialis est.
- §. XXVIII. Cessare legem docet, si
liberi prioris thori ad unum
omnes sint exheredati.
- §. XXIX. Cessare usum foresem
legis nostrae probat, quando con-
jux titulo oneroso plus accepit.
- §. XXX. Universæ tractationi co-
lophonem imponit.

§. I.



on heri aut nudius tertius demum, sed a
multis jam retro seculis, diversis genti-
bus, nuptiae, quæ post dissolutionem
prioris matrimonii celebrantur, atque
secundæ audiunt, maximo habitæ fue-
runt odio. Quodsi enim veterum anna-
lium monumenta pervolvimus, ac in antiquissimis
Germanorum institutis indagandis operam navamus,

TACI-

TACITVS a) nobis jam auctor est, virgines tantum nupsiſſe, ita, ut quemadmodum unum saltim corpus unamque vitam habuerint, ita & unum modo maritum acceperint, unique saltim matrimonio inhiaverint: & uti uno illo corpore vitaque pereunte, aliud corpus & vita non succedit, ita nec secundum maritum, priore defuncto, in votis habuiffe. Leges Germanorum Seculo V. literarum monumentis consignatae, idem loquuntur odium in secundas nuptias, siquidem lege Sallica jubente b) duo solidi mulctæ loco solvi debent propinquis novæ nuptæ, quæ poena dicitur reipus, cuius verbi significatum eruditæ docet GVNDLINGIVS. c) Mores Burgundionum, Boiorum & Longobardorum circa hanc rem multa & erudita opera ex antiquitatibus de promtos dedit Illustris BOEHMERVS d) qui per singula secula eundo nobis hac in re otium fecit, spartamque hanc præclare occupavit. Utut vero hodie secundæ nuptiae non minus quam primæ permisæ censemantur, si vel maxime superstes defuncto perpetuam vindictatem promiserit, teste MÜLLERO e) multis tamen in locis juris antiqui supersunt vestigia, sic in urbe ac ditione Ileburgensi judici duos Schreckenbergeros (sit venia verbo) in sacco non futo, & quatuor nummos apparitori offerre competitur vidua iterum nubens auctore DONDORFIO f). Halæ probante illustri BOEHMERO g) ejusmodi vidua sculteto bracteatum dare, ac in præfectura Giebigenstein attestatum copulandi, quod vulgo den Stech-Schein vocant, redimere tenetur, illudque pastori producendum est, aliarum regionum mores tradit DONDORF. h).

A 3

a) de

- a) de moribus Germanorum cap. 19.
- b) Titulo 47.
- c) in Diff. de emtione uxorem dote & morgengabe c. I. §. 32.
- d) in Diff. de secundis nuptiis illustrum personarum cap. 1.
- e) in Diff. de odio secundarum nuptiarum p. 58. seq.
- f) in Diff. de sacco sine futura §. 5.
- g) in Diff. alleg. cap. I. §. 58. 59.
- h) in Diff. alleg. §. 17.

§. II.

Ab institutis Germanorum transimus ad Jus Canonicum, odia illius in secundas nuptias brevissimis indagaturi. Quodsi igitur verum fateri & quod res est dicere nos oportet, inficias ire non possumus, odia haec a patribus ecclesiae in Jus Canonicum migrasse, ibidemque altas radices egisse, siquidem HIERONYMVS a) viduam iterum nubentem valde execratur, canemque vocat revertentem ad vomitum, & suem lotam ad volutabrum luti, CHRYSOSTOMVS b) vero secundas nuptias vere fornicationem esse, ait. Ipsi quoque Arriani, utut haeretici, secundas nuptias improbarunt, ut auctor est EPIPHANIVS c) indeque factum est, ut JOSEPHVS TIBERIADENSIS ne ab Arrianis fieret invitus clericus, secundas nuptias contraxerit. Quid mirum rebus sic stantibus multas in Jus Canonicum in odium secundarum nuptiarum irrepsisse constitutions? patrum enim ecclesiasticorum instituta conciliis, imo ipsis quoque Pontificibus maximis saepissime pro norma fuerunt, Decreto pariter ac Decretalium libris hoc satis evincentibus, ac indubitatis argumentis unicuique perlegenti patentibus, magnopere corroborantibus, Huic proin origini adscribenda sanctio, ut secunda

cunda vice nubentes poenitentiam peragant, d) ne sacerdos convivio secundarum nuptiarum intersit, e) ne femina quæ duobus nupta fuit maritis ex eleemosynis ecclesiæ, utut decrepita & egens quid accipiat, f) ne ad sacram coenam admittatur, g) ne bigamus vel qui viduam in matrimonium duxit ad sacros ordines promoveatur, h) ne secundis nuptiis a sacerdote benedicatur, i) utque eo magis homines a secundis nuptiis absterrerentur, populus excitatus fuit, ut binubos turpissimo clamore & clangore, quem chavaricum appellarunt, exciperet, docente DV FRESNE k) alia odia hujus juris sicco pede prætermittimus, instituti ratione longiorem recensionem prohibente.

- a) epist. 10. ad Furiam T. I.
- b) apud Gratianum in can. 9. cauſ. 31. queſt. I.
- c) bareſi 30.
- d) can. 8. cauſ. 31. queſt. I.
- e) loco modo allegato ſ. I.
- f) loco modo allegato.
- g) loco modo allegato.
- h) tot. Tit. X. de bigamis non ordinandis.
- i) c. 3. X. de secundis nuptiis.
- k) in Glosſario medis et infima latinitatis voce Cariſ.

§. III.

Ad jus Romanum civile animum intendentis, omnia odio in secundas nuptias plena esse, deprehendimus, ita, ut mirum in modum leges civiles in coa-cervandis hisce odiis conspirent, & modo hac, modo alia ratione illas detestentur. Enim jamdum tempore quo Romana gens nondum CHRISTO nomen dererat, sed gentilium idololatria adhuc confusurata vi-vebat,

vebat, multorum matrimoniorum experientiam, quasi illegitimæ cujusdam intemperantiae signum esse crediderunt, teste VALERIO MAXIMO a) DIDO quoque apud VIRGILIVM b) extinctum pudorem famamque secundis suis nuptiis conqueritur. Investis in orbem Romanum christianis sacris, hoc odium securdarum nuptiarum non imminutum sed auctum fuit, bigamus enim amittit proprietatem bonorum a primo conjugé in ipsum profectorum, hæcque ad liberos prioris matrimonii reddit c) secundis nuptiis obligatus hereditatem quoque liberorum prioris matrimonii in se profectam, reliquis liberis integrum, retento saltim ad dies vitæ, usufructu, servare, nec testando vel alienando immuinere potest d) matri ad secunda vota transeunti tutela & educatio liberorum prioris matrimonii admittitur e) binibus nequit facile donationem liberis factam ob ingratitudinem revocare f) restitutio in integrum liberis contra parentes denegata g) contra matrem tamen binubam admittitur h) testator heredi vel legatario secundas non primas nuptias prohibere potest i) vid. BRVNQYELL k) binibus pater proprio filio legatum sub die vel sub conditione solvere jussus, cautionem legatorum servandorum causa, a qua immunis est alias, præstare cogitur l) binibus vel binuba secundo coniugi non potest plus de suo conferre, quam uni ex liberis prioris matrimonii, cui minimum reliquit m) conf. Illustris de LEYSER n).

a) lib. 2. cap. 1. §. 3.

b) lib. 4. Añcidos v. 322. seq.

c) l. 3. §. 5. Cod. de secundis nuptiis Nov. 22. cap. 23.

d) l.

- d) l. 3. §. 1. C. de secundis nuptiis.
- e) l. 1. C. ubi pupillus educari.
- f) l. 7. & Autb. seg. C. de revocandis donationibus.
- g) l. 2. C. qui & adversus quos in integrum ref.
- h) Nov. 155.
- i) Nov. 22. cap. 43. 44.
- k) in Diff. de conditione, si non nupserit.
- l) Nov. 22. cap. 41.
- m) l. 6. C. de secundis nuptiis Nov. 22. Cap. 27.
- n) in Meditationibus ad Pandectas spec. 300. med. 1.

S. VI.

Missis aliis odii hujus speciebus, eam solum, cuius ultimo loco mentionem injecimus, sub incudem revocandam sumsimus, & cum fundamenti loco in tota haec tractatione ponenda sit, non abs re erit, si illius tenorem prout Impp. LEO & ANTHEMIVS a) illam fanciverunt hic inseramus, sunt autem verba legis sequentia: *Hac editali lege in perpetuum valitura fancimus, si ex priore matrimonio procreatis liberis pater, materve ad secunda vel tertia, aut ulterius repetiti matrimonii vota migraverit, non sit ei licitum novercae vel vitrlico, testamento vel sine scriptura, seu codicillis, hereditaris jure, sive legati sive fideicommissi titulo plus relinquere, nec dotis aut ante nuptias donationis nomine, seu mortis causa habita donatione conferre, nec inter vivos conscribendis donationibus (quae etsi constante matrimonio civili jure interdictae sint, morte tamen donatoris ex certis causis confirmari solent) quam filio vel filiae, si unus vel una extiterit. Quodsi plures liberi fuerint, singulis & aquas partes habentibus, minime plus, quam ad unumquemque pervenerit, ad eorum liceat vitricum novercamve transferri. Sin autem non ex &quis portionibus ad*

B

eos-

eosdem liberos memoratæ transferint facultates, tunc etiam non licet plus eorum nevercæ vel vitrico testamento relinqueret, vel donare, seu dotis vel ante nuptias donationis titulo conferre quam filius vel filia haberet, cui minor portio ultima voluntate relictæ, vel data fuerit aut donata, ita tamen ut quarta pars quæ iisdem liberis debetur ex legibus, nullo modo minuatur, nisi ex causis, quæ de inofficio excludunt querelam. Quam observationem in personis etiam avi vel avicæ, proavi & proavice, nepotum vel nepiūm, item pronepotum vel pronepotium sive in potestate, sive emancipati emancipatæ sint, ex paterna vel materna linea venientibus, custodiri censemus; Sin vero plus quam statutum est, nevercæ vel vitrico relictum, vel donatum aut datum fuerit, id quod plus relictum vel donatum aut datum fuerit, tamquam non scriptum, neque derelictum, vel donatum aut datum sit, ad personas transferri liberorum, & inter eas dividi jubemus, omni circumscriptione, si qua per interpositam personam, vel alio quocunque modo fuerit excogitata cesseret, conf. GOTHOFREDVS b) Ejusdem fere tenoris est constitutio JVSTINIANI quare operæ pretium non erit, illam nominatim inserere.

- a) l. 6. C. de secundis nuptiis.
- b) in notis ad legem citatam.
- c) in Nov. 22. cap. 27.

§. V.

Quinque nisi omnes fallimur hac in lege circa hanc rem continentur casus, quorum singularium recensionem melioris ordinis & doctrinæ causa in medium proferendam duximus. Primo Legislatores volunt, conjuges ex priori matrimonio procreato filio vel

vel filia gaudentes, ad secunda vota vel ulteriora transeuntes, nulla ratione sive per donationem inter vivos, sive quacunque specie ultimæ voluntatis plus de suo patrimonio in alterum conjugem, qui habito respectu ad liberos prioris matrimonii vitricus vel noverca audit, conferre debere, quam ex priori matrimonio superstes filius vel filia accepit ex substantia patris vel matris, ex quo sponte sua sequitur, mentem Legislatorum fuisse, vitricum vel novercam non melioris conditionis esse debere, quam filium vel filiam ex priore matrimonio provenientem, quodsi igitur ejusmodi filius vel filia legitimam saltim ex substantia patris vel matris acceperit, noverca vel vitricus pariter hac portione contenti vivere debent, quodsi plus legitima consecuti fuerint, vitricus vel noverca eandem portionem a conjuge in se collatam permittentibus legibus accipere possunt.

§. VI.

Secundus casus in lege nostra contentus a primo non multum differt, sed in eo solum differentia deprehendenda, quod in primo tantum una persona, nempe filius vel filia presupponatur cum vitrico vel noverca concurrens, hic vero plures singuntur adesse liberi, iidemque omnes ad unum æquales portiones capientes, quo existente casu mens legis est, vitricum vel novercam non plus debere capere quam isti liberi æquali modo inter se succedentes, ex quo prono fluit alveo, liberis hisce in legitima solum institutis, vitrico vel novercae non plus conferri posse, quam portio legitima respectu singulorum efficit. Ad singulos enim

B 2

hic

non ad universos respiciendum est, ponamus igitur casum quatuor, tres vel duos ex priori matrimonio prognatos adesse liberos, tunc juxta illud vulgatum:

Quatuor aut infra dant natis jura trientem portio quæ conjux in novercam vel vitricum conferre potest, non potest sumnam excedere, quam quæ ex triente ad unum horum liberorum pervenit; Quodsi vero quinque vel plures adsint liberi, juxta illud notis simum:

Semissim reliquis dant natis jura vel ultra, noverca vel vitricus non possunt plus capere ex substantia conjugis, quam unus ex his liberis ex semisse perceperit. Quando autem hi plures extantes liberi æqualiter succedentes plus cipient legitima, integrum erit conjugi in secundis votis subsistenti, ejusdem portionis legitimam excedentis, quam unus horum liberorum percepit, vitricum vel novercam participem reddere, cum juxta hunc casum tam haec quam illa cum liberis prioris matrimonii in capita succedere possit, ex legis nostræ dispositione.

S. VII.

Tertius casus legis nostræ a secundo in eo diversus deprehenditur, quod secundus præsupponat plures extantes liberos omnes æquis portionibus succedentes & a patre vel matre quoad capienda bona ex illorum matrimonio invicem exæquatos, ille vero fingit inter plures extantes liberos inæqualem ex parentis dispositione adesse successionem, ita ut unus alterum vel plures unum quoad capiendam portionem superent, quo in casu legi nostra jubente vitricus vel noverca non plus de substantia

stantia conjugis capere possunt, quam unus liberorum, qui minorem portionem accepit, minor vero portio ista intelligitur quæ legitimam continet, utpote quæ liberis nullo modo a parentibus adimi vel minui, nisi ex causa legibus probata ac ab Imperatore JVSTINIANO a) speciatim recensita, ex quo non potest sequi non, vitricum vel novercam eam omnino capere portionem posse, quæ exæquat portionem, quæ ex legitima ad unum horum liberorum pervenire debuit, licet de facto ad unum illorum minus pervenerit, cum semper in ejusmodi casibus dijudicandis ad id respiciendum sit, quod juxta legum præscriptum fieri debuit, neutquam vero quod de facto contigit. Et cum lex nostra quartam tantum universæ hereditatis partem legitimam liberorum agnoscat, constet autem deinde legitimam liberorum auctam esse b) ita ut pro numero liberorum tertiam vel dimidiam partem, portionis ab intestato debite constituat, nullum quoque supererit dubium, quin etiam intuitu portionis a vitrico vel noverca acquirendæ, auctæ hujus legitimæ ratio habenda sit.

a) Nov. 115. c. 3.

b) Nov. 18. c. I. & Autb. Novissima C. de inoff. test.

§ VIII.

Quartus casus ratione dispositionis nihil diversi continet a prioribus, sed ea quæ in prioribus de patre & matre in medium prolata sunt, etiam ad avum & aviam, ad proavum & proaviam extendit, nec minus ea quæ de liberis sancita fuerunt, etiam locum habere vult in nepotibus & pronepotibus, ut & neptibus &

B 3

pro-

proneptibus, nulla habita differentia, utrum liberis hi primi, secundi vel ulterioris gradus, adhuc in sacris paternis sint constituti, utrum vero emancipati, nullo quoque attento discrimine lineæ paternæ vel maternæ. Quæcunque igitur juris sunt circa patrem vel matrem ad secunda vota transeuntes, etiam juris sint necesse est circa avum vel proavum, aviam vel proaviam secundo nubentes, & quanta portio conferri potest a patre in novercam & a matre in vitricum, tanta portio etiam transferri potest ab avo vel proavo, avia vel proavia in conjugem cum quo in secundis vel tertis nuptiis vivit; eodem quoque modo, quo patri & matri in alterum conjugem non plus licet conferre, quam unus liberorum & respective ille qui minimum accepit, consequitur, ita etiam avo & proavo, aviae & proaviae non liberum est plus relinquere alteri conjugi, quam unus ex nepotibus vel pronepotibus, neptibus vel proneptibus cui minimum relatum est, accipit, cum vero & minimum rationem habere debeat legitimæ & quidem auctæ in liberis, ita etiam rationem habebit eandem in legitima nepotum & pronepotum.

§. IX.

Quintus casus supponit patrem vel matrem contra legis hujus sancta disponentes, & novercæ vel vitrico plus de substantia sua relinquentes quam juxta normam hanc relinquere debuissent, ac præcipit hæc lex, ut ea, quæ supra hunc modum vitrico vel novercæ a patre vel matre data vel relicta sunt, pro non datis ac non derelictis haberi debeant, substantia illorum ad liberos prioris matrimonii revertente, interque eos æquali-

æqualiter dividenda, omni fraude per interpositam personam penitus cessante ac procul esse jussa. Ex quo apparet omnia hæc in favorem liberorum prioris matrimonii esse sancta, utpote quibus per secundas nuptias maximum utplurimum infertur præjudicium, quare etiam æquitati consentaneum est, ut illud quod plus justo ad novercam vel vitricum pervenit, ad eos revertatur, æquali divisione inter illos juxta numerum personarum instituenda, partienda. Notanter vero dicitur in lege nostra, *id quod plus relictum vel donatum aut datum fuerit, ex quibus verbis elucet, non omnem substantiam vitrico vel novercæ relictam, existente casu, quo conjux plus justo reliquit illis, ad liberorum prioris matrimonii divisionem pertinere, sed eam tantum, quæ modum lege hac determinatum excedit.* Liberorum quoque est mediante actione desuper instituenda contra novercam vel vitricum plus justo accipientes experiri, ac illud plus datum repetere, licet enim lex dicat hæc pro non scriptis & non relictis habenda ac per consequens nulla esse, intelligitur tamen hic nullitas non absoluta, sed hypothetica, quod ex eo apparet, quia lex favorem liberorum respicit, favori autem non solum expresse sed & tacite renuntiari potest. Ultima legis nostræ verba omnem huic legi faciendam fraudem prohibent, variis enim fieri potest modis, ut quis per indirectum mentem legis circumveniat, licet contra expressa verba illius non peccare videatur, verba siquidem cum effectu sunt accipientia, pertinet v. g. huc, quando aliquis extraneo per modum fideicommissi hereditatis partem, addita lege assignet, ut elapsò tempo-

re

re quodam vitrico vel novercæ illud restituere debeat, si quis autem ex liberis prioris matrimonii fraudem hoc modo sibi factam alleget, fraudem probet necesse est. a)

a) C. 20. X. de rescriptis.

§. X.

Omnis, qui primas saltim Historiæ Juris civilis lineas duxerunt, probe cognitum habent, quam pronus in corrigendis ac iterum iterumque emendandis legibus Imperator noster Iustinianus fuerit, & quam incertam non solum eo ipso reddiderit jurisprudentiam, sed etiam illius studium sine sufficiente ratione valde difficile effecerit, quid mirum igitur quod ejusmodi inconstantiam etiam ratione legis modo enucleatæ in illo deprehendamus. Ea siquidem quæ in lege nostra disponuntur, de portione a conjugi vitrico vel novercæ plus justo relicta, inter liberos prioris matrimonii æquis partibus dividenda, mutavit, & in lege nostram sequente nona a) in alia omnia eundo præcepit, ut totum illud quod ultra modum ad vitricum vel novercam ex mente conjugis in secundis votis viventis pervenire debuit, tanquam non datum liberis non prioris solum, sed utriusque matrimonii applicari debeat, in capita inter illos dividendum. Imperatorem hic humani aliquid passum esse, non solum ex eo colligere licet, quod veram, hæc statuendo, legis nostræ rationem, in favore liberorum prioris matrimonii consistentem, incognitam habuerit, ac eapropter contrarium statuerit, sed etiam, quod per Novellam 22. cap. 27. legem nostram postliminii jure quasi restitueram

dam

dam censuit, ac Imperatoris LEONIS legem nostram
sancientis, æquitatem antea non agnitam, laudibus
condignis prosecutus est, illiusque legem antea a se
quoad hoc caput correctam, disertis & iisdem fere
verbis in Novella sua in medium profert, simulque
probat, falcam criticam non semper felicibus auspiciis
in reformatis legibus a se fuisse adhibitam.

a) l. g. C. de secundis nuptiis.

§. XI.

Varios nunc in lege nostra contentos casus, ut &
quæ circa illius mutationem & reductionem ad pristinam
formam contigerunt, pro instituti ratione indagavimus, hinc non immerito in disquisitionem ve-
nit, utrum dispositio hujus legis, odium secundarum
nuptiarum redolens, poena dici mereatur? Nos equi-
dem non fugit, poenam recte animadvertisse GRO-
TIO a) esse malum passionis, quod infligitur ob ma-
lum actionis, ille autem qui ad secunda vota transit,
versatur in relicta, nec committit ut cum GROTIO lo-
quamur malum actionis, rei licitæ etiam nulla est poe-
na: omnia haec sese recte habent, si poenam proprie &
strictè sic dictam intelligamus, verum enim vero in
sensu impropprio odium hocce poena vocari quoque
potest, utuntur enim hac notione non solum Docto-
res, sed ipse quoque Imperator JUSTINIANVS b) be-
neficia haec liberorum priororis matrimonii poenas ap-
pellat, nec hoc contra usum aliarum legum dictum
est, siquidem leges saepe in factis per se licitis poenas
admittunt c) quod tunc præcipue animadvertisimus,
quando factum legibus est invisum quidem, sed ita

C

compa-

comparatum, ut ratio status, vel metus majoris mali, omnimodam prohibitionem non suadeant, originem hinc traxit, quod quedam negotia a legibus odio habeantur, & ea quæ alias juris communis sunt, ratione illorum cesserent, quo ipso leges illarumque latores declarant, sibi in votis esse, ut ejusmodi facta quantum fieri potest evitentur conf. de LEYSER d)

a) de jure belli & pacis lib. 2. cap. 20. §. 1.

b) in Novella 2. cap. 2. §. 1. & cap. 3.

c) exemplum adest in l. unica C. de his quæ pœna nominis.

d) in Medit. ad ff. specim. 300. med. 4.

S. XII.

Quod ad æquitatem nostræ legis attinet, varia contra illam moveri posse videntur dubia, cum enim illa non prohibeat, sed potius ut ex aliis legibus colligi potest, liberum relinquat, conjugibus ad secunda vota transeuntibus, ut plus extraneo possint testamento vel alia ratione relinquere quam liberis prioris matrimonii contulerunt, cum tamen conjux quasi una caro ac utriusque fortunæ consors habeatur, & hinc non deterioris conditionis haberi debeat, quam extraneus, irtuote qui tantas molestias quæ conjux cum conjuge tolerandas habet, non fert, accedit, quod libertas restandi, alias in jure favorabilis, eo ipso constringatur, ac favor liberorum prioris matrimonii, qui causam & animam legis nostræ constituit, eo ipso non promovetur, dum extraneo plus quam illis a parentibus relinquunt potest; verum enim vero salva res est, nihilque iniuri hinc alere sanctionem, animadvertemus, quod si ad diversitatem rationis ariuni sciem intendamus, alia enim

enim ratio militat in vitrico & noverca, quæ ad extra-
neum applicari nequit, scilicet experientia convinci-
mur, patres utplurimum novercalibus delinimentis &
instigationibus in necem liberorum prioris thori cor-
rumpi, & matres binubas maximam partem immo-
deratas & intemperantes novis maritis res proprias,
neglectis defraudatisque liberis suis cum vita ipsa ad-
dicere solere. Quamvis enim non omnes conjuges
binubi, novercae & vitrici uno eodemque modulo
metiendi sint, ac in unam eandemque classem referendi,
neminem tamen latet, leges de eo quod utplurimum &
sæpe accidit, condi a) nec vim suam obligandi univer-
salē amittere, etiamsi in uno vel altero subjecto ratio
legis cessare videatur vid. TIRAQVELLYS b) cum igi-
tur haec ratio ad extraneum applicari nequeat, hinc
eriam eadem legis dispositio locum habere nequit;
neque etiam favor testandi hac lege constrictus, du-
rum aliquid importat, cum illum restringi justissimum
ac æquissimum sit, quando appareret, testatorem vanis
affectionibus duci, & libertate sua contra immerentes abu-
ti, quæ ratio etiam HOSPITALIVM Galliae cancella-
riū teste Illustri de LEYSER c) movit, ut hanc no-
stram legem diu in Gallia neglectam nova lege reno-
varet & confirmaret. Nec potest dici favorem libero-
rum per id, quod extraneo plus possit conferri quam
filio vel filiae, neglectum fuisse, quis enim non videt,
ejusmodi inclinationes liberis ab extraneis non esse
metuendas, quæ a vitrico vel noverca metui possunt,
quare etiam hic diversam militare rationem, nemo
non videt. Et fac etiam legem hanc quodammodo

C 2

duram

duram videri, nostrum tamen non erit, de ea judicare, sed secundum eam, quis enim est, quem fugiat, Jure consultos & judices solum esse interpretes & ministros legum, quorum studium omne debet esse ad id directum, ut leges recte explicentur & probe custodiantur, neutquam vero per contrariam interpretationem sensus earundem enervetur?

a) l. 4. s. 6. 10. 12. ff. de legibus.

b) in tractatu cessante causa.

c) in Medit. ad ff. spec. 300. med. 9.

§. XIII.

Existente autem casu, quo conjuges in secundis votis constituti, positos sibi in lege nostra terminos transilierunt, atque secundo coniugi plus reliquerunt, quam uni ex liberis qui minimam accepit portionem, indagandum erit utrum omnis ejusmodi dispositio invalida ac pro non facta habenda sit? quod merito negatur, ac ex parte §. 9. jamdum negatum, cum juris principiis conveniens sit, ut utile per inutile non vitetur, ea igitur ejusmodi dispositionis capita, quae sustineri possunt, omnino sustinenda sunt. Fac ergo patrem binubum in pactis dotalibus constituisse, ut secunda uxor fundum, potissimum patrimonii sui partem retineat, & liberis prioris matrimonii certam pecuniae summam exsolvat, atque in hanc dotem & donationem propter nuptias, quas liberi a vivo parente acceperant, imputet, finge etiam, istam summam, quam noverca privignis solvere tenetur, minorem esse lucro, quod illa ex praedio retento consequitur, nequit profecto contra legem nostram hoc firmo stare tali, ast propterea reliqua pactorum dotalium capita nulla non sunt,

sunt, retinet itaque noverca fundum, dedit etiam in judicio familie herciscundae id, quod privigni a vivo patre acceperunt, utrumque enim patri sic ordinare per leges integrum fuit, saltim pecuniae summam augere debet noverca, ut lucrum sibi attributum exæquet, & hinc recte rationes subduxerunt Jcti Helmstadienses apud Illustrem de LEYSER a) in verbis: Der Beklagten ist in der Ehesftiftung das ganze Guth zugeschlagen worden; Nun könnte zwar der Vater nach Verordnung derer Rechte in l. 6. de secundis nuptiis nach welchem lege an den Orten, wo er nicht ausdrücklich aufgehoben ist, noch allezeit gesprochen werden muß, der Beklagten nicht mehr als einem Kinde erster Ehe zuwenden; Allein dadurch, daß er ihr mehr beschieden, geht doch die ganze Ehesftiftung nicht zu Grunde, sondern ist in so weit gültig, daß Beklagte zuerst ihr eingebrachtes hinweg nehmen, nachgehends ein Kindes-Theil fordern, auch das Guth selbst, dem väterlichen Willen zufolge, behalten, und den Kläger mit Gelde abfinden, anbey ihm dasjenige, was er und seine Schwester zur Ausstattung bekommen, fürken kan.

a) in Medit. ad ff. specim. 300. med. II.

S. XIV.

Ut vero sciatur, an vitricus vel noverca plus habent, ante omnia tempus erit disquirendum, ad quod in dijudicanda hac quæstione est respiciendum. Quod si igitur legibus præeuntibus a) ad hanc quæstionem respondemus, non tempus matrimonii secundi, non testamenti aut donationis, sed mortis parentis nuptias iterantis est inspiciendum, quod magnum facit momentum in diminutione vel augmento bonorum post-

C 3

ea

ea contingente, uti etiam in ineunda Falcidiæ ratione & aliis plerisque causis mortis tempus spectatur. Nec obstat, aliam legem b) spectandam velle tempus donationis non mortis, agit enim illa de diminutione dotis, vel donationis propter nuptias constante matrimonio, quæ fieri non potest a parente nuptias iterante, extantibus liberis prioris matrimonii, ne scilicet fiat fraus legi nostræ. Præterea non repugnat, parentem ad secundas nuptias transeundo, donationem propter nuptias, vel dotem ad se reversam, non cogi servare libris prioris matrimonii c) quodque sic donatio vel dos omnis servire posse videatur secundis nuptiis quoque, id enim verum est, si parens alia bona habeat, præter donationem propter nuptias, vel dotem, ex quibus tantundem liberis præstiterit, quantum novo conjugi dederit vel reliquerit. Sin autem præter dotem aut donationem propter nuptias nihil in bonis habeat, eo casu virilem portionem solum in secundum conjugem transferris potest, conf. PEREZ d).

a) Novella 22. cap. 28.

b) l. 19. C. de donationibus ante nuptias.

c) l. 18. C. de donationibus ante nuptias.

d) ad Codicem lib. 5. tit. 9. num. 18.

§. XV.

Si liberis prioris matrimonii minus legitima portione sit a parentibus relatum, certum est eos supplementum petere posse, nec minus extra omnem dubium aleam ex modo demonstratis positum est, illud quod novercae vel vitrico justo plus relatum est, a liberis a vocari posse, hinc non immerito indaginem meretur illa

illa quæstio, an illud plus a liberis hoc modo revocatum, in legitimam ipsis debitam imputandum sit? quod omnino negandum erit, utrumque enim lege nostra continetur, scilicet quod nullo modo legitima ipsis debita possit imminui, & insuper quod secundo conjugi plus est relictum, ad personas liberorum deferri, & inter eos dividi debeat, diverso quoque jure hæc liberis prioris matrimonii debentur, legitima siquidem illis debetur cum sint liberi, quod autem avocatur a vitrico vel noverca illud habent a lege ita disponente, ob transitum patris vel matris ad secundas nuptias. Nec obstat, leges velle, ut ea imputentur liberis in legitimam quæ habent ex substantia patris, a) ea vero quæ hoc modo avocantur ex substantia parentum esse, & hinc in legitimam imputanda venire, constat enim ea non in legitimam imputari, quæ, licet ex substantia parentum profiscantur, adventitio tamen jure a liberis acquiruntur, veluti ex jure accrescendi, ex substitutione & similibus b) hoc autem lucrum ad liberos pervenit extrinsecus, ex eo nempe quod parenti secundæ nuptiæ arriserint & vitrico vel novercæ plus reliquerit, adeoque directe illud a parente non habent, sed potius contra ipsius intentionem, quæ huc directa fuit, ut vitrico vel novercæ per id prospiciatur. Quare lex supra excitata eum in modum est intelligenda, in legitimam imputanda ista esse, quæ ex intentione parentum vel tacita vel expressa ad liberos profiscuntur, v. g. ex dote, donatione propter nuptias, similibusque, conf. FACHINÆVS C.

a) l. 36. C. de inofficio testamento, in verbis: repletionem seq.

b) lex

- b) lex modo allegata, in verbis: humanitatis etenim gratia seq.
 c) controversialium juris libro 3. cap. 70.

§. XVI.

Supra §. VI. defensum ivimus, si aliquis liberorum in legitima foium fuerit institutus, vitricum vel novercam etiam non plus capere posse, ac hujus legitimæ rationem adeo esse habendam, ut non respiciatur ad id quod revera factum est, sed quod fieri debuisset: Ponamus igitur casum, liberos omnes vel saltim unum illorum portionem legitimam non omnem consecutos; ad supplementum legitimæ illum vel illos agere posse, nemo negabit, quare etiam in vitrico & noverca hujus supplementi legitimæ, ratio habenda erit. Licit enim lex nostra dicat, tantum posse relinqu vel donari vitrico vel novercæ, quantum uni ex liberis relictum, atque adeo videri posset, illud quod ex supplemento ad liberos pervenit, pro reliquo a parentibus non habendum esse, attamen si accuratius inspiciamus legem nostram, sententiam hanc firmo non stare talo deprehendemus, siquidem per verbum PERVENERIT maxime juvatur sententia nostra, quoniam ad filium vel filiam, quibus minus est portione legitima relictum, supplementum ejus perventurum est tunc, quando actione legibus prodita ad illud consequendum experientur. Neutquam igitur rem acu tetigit SALICETVS a) putans, vitrico vel novercæ non amplius relinqu posse, quam in filium est collatum, nulla habita ratione, quod filius possit supplementum petere & consequi, cum si locum haberet sententia a nobis defensa, nunquam haberet vitricus minus legitima filio debita, quod

quod tamen falsum, & expediti juris sit, portionem liberorum non mensurandam esse ex portione vitrii vel novercæ, sed potius portionem vitrii vel novercæ mensurandam ex portione liberorum; petit hoc argumentum id quod est in principio, siquidem conjugi semper integrum est minus relinquere novercæ vel vitrii, quam quod legitima liberorum importat, agimus enim hic de eo solummodo casu, quo plus reliquit conjux novercæ vel vitrii, quam importat legitima unius ex liberis, & quo unus ex liberis minorem ex dispositione parentis portionem, quam quæ legitimam constituit, accepit, & defendimus, quod sicuti ejusmodi filius vel filia illud quod deest legitimæ adhuc per modum supplementi accipere debent, ita etiam illam portionem, quam computato nunc illo supplemento habent liberi, ad vitricum vel novercam pervenire debere, licet eam non accipient, quam ex intentione conjugis habituri erant. Ex quo apparet, conjuges quidem plus relinquere posse liberis prioris matrimonii, quam vitrii vel novercæ, sed plus vitrii vel novercæ relinquere non posse, quam liberis prioris matrimonii, vid. FACHINÆVS b).

a) in Comment. ad l. 6. C. de secundis nuptiis quest. 7.

b) Controversiarum juris libro 3. cap. 67.

S. XVII.

Omnem contra legem nostram exulare debere machinationem & circumscriptionem per interpositam personam, verba finalia clare innuunt, hinc operæ pretium erit, indagare, utrum etiam in censum hunc referendus sit casus quando conjux in conjugio secundo

D

con-

constitutus alteri conjugi quidem non plus donet, sed liberis secundi matrimonii patre vel matre stipulante? in regula casum hunc huc referendum esse, negamus, quia conjux secundo nubens plus conferre potest liberis secundi matrimonii, quam liberis primi matrimonii, dummodo his legitimam portionem servet, hinc cessat effectus legis nostræ quia conjux non vitrico vel novercæ, sed liberis hoc confert. Si vero solummodo sit color hoc modo quæsitus, ut lex circumveniatur, & id aetum vel tacite vel expresse, ut vitricus vel noverca emolumenti aliquid sentiret, id veluti in fraudem legis factum, validum non est, si vero liberis duntaxat commodum fuerit quæsitum, nihil obstat, quo minus conjux alterius conjugis ministerio uti possit, cum etiam extraneus ad hoc negotium adhiberi potuisset. Quare hoc in casu idem respondemus, quod JCtus MARCELLVS a) respondit sequentem in modum: Mulier, quæ ad communem filium volebat, qui in potestate patris erat, post mortem patris fundum pervenire, eum patri tradidit, ut post mortem restituatur filio: Quæro, an donatio tibi videatur, ut nihil agatur? an valeat quidem, sed mulieri potestas datur, si noluerit, eum repeteret? Respondit, si color vel titulus (ut sic dixerim) donationi quæsitus est, nihil valebit traditio, id est, si hoc exigit uxor, ut aliquid ex ea re interim commodi sentiret maritus, alioquin si solo illius ministerio usa est & id egit, ut vel revocare sibi liceret, vel ut res cum omni emolumento, per patrem postea ad filium transiret, cur non idem perinde sit ratum, ac si cum extraneo tale negotium contraxisset, hoc est extraneo

traneo in hanc causam tradidisset? Ex variis vero circumstantiis & causalrum figuris certa regula non comprehendendis, cognoscendum ac dijudicandum erit, utrum fraus sit legi facta nec ne? conf. FACHINÆVM b) prudentia judicis igitur hic omne punctum feret.

a) l. 49, ff. de donationibus inter virum & uxorem.

b) controversiarum juris libro 3. cap. 66.

§. XVIII.

Quodsi plus collatum sit vitrico vel novercæ a parentibus in secundis votis viventibus, GLOSSA a) putat, hoc non esse dividendum inter solos liberos primi matrimonii, ex eo fundamento, quia lex permittit, ut vitrico vel novercæ tantum relinquatur, quantum ipsis liberis prioris matrimonii, atque adeo portionem virilem de hoc plus reliquo etiam tribuendam esse vitrico vel novercæ. Sed quis est, quem fugiat, quam insulfis saepe interpretationibus Glossa usâ fuerit, & quam destituta fuerit subsidiis ad rectam interpretationem necessariis ac utilibus? Quare nobis quoque religio non erit, ab illius interpretatione recedendi, ac meliora edocti, contrariam sententiam amplectendi, per verba enim: *Ad personas deferri liberorum, & inter eas dividijubemus, aperte indicatur, totum quod plus est, dividendum esse inter liberos prioris matrimonii æquis partibus, lege igitur tacente, vitricus & noverca non possunt adjungi eisque partes adscribi.* Utut enim lex permittat, ut tantum habeant vitricus & noverca, quantum ad unum liberorum pervenit, nihilominus tamen in casu quo plus illis reliquum diserte statuit, id omne ad liberos transferri, nulla vitrici aut novercæ mentione ijecta, recte ita rationes subducente FACHINÆO b).

D 2

a) ad

- a) ad l. 6. C. de secundis nuptiis.
 b) Controversiarum juris libro 3. cap. 69.

§. XIX.

Binubum proprietatem bonorum a primo conju-
 ge ad se prosectorum amittere, ac liberis prioris matri-
 monii cum aliis liberis succedentem, usumfructum sal-
 tem bonorum a primo conjuge prosectorum consequi,
 supra §. III. evicimus, hinc dubitatum fuit, an binubus
 portionem filialem secundo coniugi pleno jure & quo-
 ad proprietatem relinquat, an vero solum quoad usum-
 fructum? Quodsi legem nostram inspicimus, ibi altum
 est de restrictione ad usumfructum silentium, hinc quin
 binubo proprietatem adsignemus, nullum nobis haeret
 dubium, leges enim §. III. excitatae, solum agunt de il-
 lis bonis, quae superstes conjux a defuncto accepit, neu-
 tiquam vero de iis, quae conjux liberis prioris matri-
 monii gaudens ad secundum conjugem transferre cu-
 pit, quare a diversis ad diversa nulla illatio fieri potest,
 prouti præjudicio illustravit hoc Illustris de LEYSER a)
 in verbis: Diesenach steht der Frau frey, ihren andern
 Mann in filiali portione pleno jure zum Erben einzusetzen.

a) in Meditat. ad ff. spec. 300. med. 12.

§. XX.

Ea quæ in lege nostra de coniuge binubi vel binu-
 bæ in odium secundarum nuptiarum disposita sunt, &
 in favorem liberorum prioris matrimonii cedunt, lo-
 cum quoque habent, si liberi prioris matrimonii con-
 sensum dederint in secundas patris vel matris nuptias,
 eo ipso enim non intulerunt sibi præjudicium, quo be-
 neficii hujus legis non amplius participes sint, nulla le-
 ge

ge ea propter illos hoc beneficio privante, neque ratione aliud suadente, neutquam enim liberi peccant consensum in secundas nuptias dando, quas, et si vellent, prohibere tamen non possunt, qui vero contradicendo actum impedire non potest, nullum consentiendo sibi infert praetudicium, præsertim cum ejusmodi consensus nullam adhuc inferat juris renunciationem, quæ in dubio non intelligitur & est strictæ interpretationis. Quare ut maxime filii ejusmodi nuptiis consentientes injuriam sibi factam remississe videantur, non tamen legibus renuntiassæ censemur, in illos summa ratione & æquitate beneficia conferentibus & lucra. Idem quoque statuendum est, de conjugè secundo nubente cum consensu prioris mariti & uxoris, uti enim ejusmodi conjux liberam a Deo potestatem habet, ad secundas nuptias transeundi, ita etiam non peccat conjux consensum dando in id, quod etiam deficiente illius consensu, effectui dari potest, consentit enim in id, quod prohibere non potest, neque etiam dici potest ejusmodi conjugem consensum dando praetudicium liberis inferre vel posse, vel velle, cum ob cessationem post mortem omnem patriam potestatem, id fieri non possit, neque etiam potestas patria ea, quæ in legibus in favorem liberorum sancta sunt, evellere debet. Eadem quoque legis nostræ dispositio locum habebit in matre minore annis 25. ad secunda vota transeunte, licet enim mater minor secundo nubens, liberorum successione non privetur, quibus de tutore non prospexit a) id tamen invitatis legibus de casu ad casum extenditur, ita ut potius inferendum sit, exceptionem firmare regulam in casibus

casibus non exceptis. Denique etiam idem erit asserendum de muliere dispensatione principis interveniente, secundo nubente. Nos quidem non latet, mulierem impetrare posse, secundum legum civilium normam, ut, licet ad secunda vota transeat, dignitate tamen prioris viri fruatur, Principe hoc volente b) attamen & quoad dispensationem extensio de casu ad causum locum non habet, sed stricta adhibenda est quoque interpretatio, id quod ipsa definitio dispensationis, quam Illustris BOEHMERS c) tradidit, infert, est enim provida & grata legis prohibitivæ vel præceptivæ a legislatore facta relaxatio in certo & peculiari casu, ut hic citra exemplum tamen licite & valide fieri vel omitti queat, qui alias faciendus & omittendus erat ex legis præscripto. Cum itaque dispensatio hæc unicum causum solummodo excipiat, dispensationis vero a lege nostra lex excitata nullam faciat mentionem, facile evanescet hæc sententia, conf. FACHINÆVS d).

- a) l. 2. C. si aduersus delictum.
- b) l. ult. ff de Senatoribus.
- c) in Diff. de jure dispensandi in caus. tam sacr. q. prof. scđt. 1. c. 1. §. 9.
- d) controversialium juris libro 3. cap. 68.

S. XXI.

Quod ad usum fori legis nostræ attinet, haut defunt, qui contendunt, illam tamquam secundis nuptiis infestam, in foris germaniae nunquam receptam esse, nec secundum eam pronunciare licere, præsertim cum conjugis libertatem disponendi restringat, liberamque testandi facultatem adimat, gratitudinis suæ, ob præstitum amorem conjugalem & omnis vitæ consortium, erga superstitem exercendi officium impediat; Præterea

rea absurdum videri, maritum qui ad secunda migravit vota, legitima prioris matrimonii liberis relicta, reliquam omnem substantiam extraneis legare, per fideicommissum relinquere, aut alio modo in alios transferre posse, uxori vero suae ultra filialem portionem relictum invalidum & ipso jure nullum censeri; cessare insuper sanctionum harum Romanarum rationes apud Germanos, scilicet secundarum nuptiarum odia, vel ipso Jure Canonico, in praxi notorie recepto, sublata a) neque feminas hodie adeo immoderatas esse & intemperatas, ut, quod Romanis erat frequentissimum, novis maritis non solum res proprias, neglectis & defrauddatis liberis, sed etiam ipsorum liberorum res & vitas addicant, neque patres binubos delinimentiis novveralibus & instigationibus ita semper corrumpi sole-re, ut maligne in necem liberorum prioris thori disponant; denique ad fori Germaniae usum provocant, qui legis nostrae non usum perquam clare proderet, quandoquidem hunc non usum in provinciis Saxoniæ tam Electoralibus quam Ducalibus variis adjectis præjudiciis testati sunt JCti magnam nominis famam adepti CARPOZOVIVS b) BERLICHIVS c) BERGERVS d) & WERNHERVS. e) Quid quod JCti Halenses idem de universis Germaniæ foris adstruere non dubitarunt, in Sententia ad requisitionem Senatus Brunsvicensis anno 1706. mense Augusto lata, ita quidem, ut actori in hac lege se fundanti, probationem receptionis injun-xerint, uti verba a modo laudato WERNHERO f) in rationibus decidendi adducta, innuunt: Im übrigsten, was Klägere wieder das Testament ex l. 6. C. de secundis nupriis anfüh-

anführet, unerheblich, indem dieser lex in Teutschland nach
derer bewährtesten Rechts-Lehrer Meynung nicht recipire
ist, und ein Vater denen Kindern mehr, als die legitimam
zu lassen nicht schuldig, folglich Kläger erst, das solcher lex
in Braunschweig in praxi recipiret, und darnach gespro-
chen worden, erweisen müssen.

- a) cap. 4. § 1. X. de secundis nuptiis
- b) parte 2. const. 45. def. 17.
- c) parte 3. concl. 29. n. 26.
- d) in economia juris pag. 117.
- e) parte 3. obs. 55. num. 3. § 4.
- f) parte 3. obs. 120. num. 4.

§. XXII. de iure Germaniae

Ast, quod pace horum JCTorum dictum sit, ho-
rum argumentorum autoritas non usque adeo suo vali-
tura est momento, ut legem nostram facile vincat, &
eius usum in foris Germaniae prorsus tollat, docenti-
bus enim SCHILTERO a) STRYCKIO b) LYNCKER c).
Jus Romanum in integro suo complexu, in Germa-
nia in subsidium, salvis statutis, legibus provinciali-
bus, & consuetudinibus tam universalibus quam par-
ticularibus, in Germaniae provinciis & civitatibus ob-
tinentibus, est receptum, adeo, ut per juris conse-
quentiam, qui legem quandam ex Jure Romano pro-
se allegat, fundatam prorsus pro causa sua intentionem
habeat, nec eum ad probationem receptionis adstringi
oportet, donec adversarius ad non usum provocans,
probaverit, statuto quodam, vel lege Germaniae uni-
versali vel provinciali, aut denique consuetudine aliud
cautum esse. Cum vero nemo ex dissentientibus ha-
ctenus fuerit, qui vel legem vel consuetudinem Ger-
maniae

maniæ nostræ universam, nostræ legi contrariam in Germania obtinentem, in medium proferre potuit, ita nec ulla ratione sufficiente ejus non usus, quoad omnem Germaniam tuto afferi, ejusque receptio in dubium vocari potest, sed si quis non usus legis nostræ in Germania superest, is tantum ad provincias & civitates Germaniæ particulares, ubi contraria huic legi juris dispositio obtinet, spectat. Per leges enim provinciales & statuta, aut consuetudinem huic sanctioni juris communis contrariam, non obstante, quod clausula solenni: utne abrogari unquam possit, munita sit, contra BARTOLVM, BALDVM, aliosve veteres, satis evictum dedit MEVIVS d) neque expressa semper abrogatione opus, sed quoque tacita & indirecta toties sufficit, quoties ex verbis statuti vel legis provincialis, ita de mente statuentium perspicue colligere licet, conf. MEVIVS e) puta si dispositio statuti cum lege nostra subsistere nequit. Verum enim vero a non usu legis nostræ particulari, & in certis solummodo Germaniæ provinciis & civitatibus a RITTERSHVSIO f) relatis, locum inveniente, ad universa Germaniæ fora male infertur & concluditur, sed potius pro regula tenendum: In omnibus provinciis, civitatibus, locisve, ubi nec statutum, nec lex provincialis adversa prostat, aut consuetudo contraria invaluit, secundum eam semper pronunciandum esse. Calculum adjecerunt huic sententiae summa Imperii Tribunalia & JCtorum Germaniæ famigeratissimorum plurimi, ac non solum singuli, sed & universa collegia, scilicet MYNSINGERVS g) GAILIVS h) LYNCKERVS i) RITTERSHVSIVS k) PRYCK-

E

PRYCK-

PRVCKMANNVS I) ESBACH m) HERTIVS n) MEVIVS o)
 STRYCKIUS p) JCTi Jenenses apud RICHTERVM q)
 Wittebergenses apud WERHNERVM r) Marpurgenses
 apud eundem s) TVBINGENSES t) Halenses apud Illus-
 trem BOEHMERVM u) qui sententiam supra a nobis
 adductam mutaverunt, Giesenses apud HERTIVM w)
 nec non Helmstadienses apud Illustrē de LEYSER x)
 conferatur quoque Illustris quondam REINHARTHVS y)
 sententiam hanc exquisitissimis argumentis probans, &
 contrariam solidissimis fundamentis destruens.

- a) in Exerc. ad ff. Exerc. 1. §. 11. § 12.
- b) in Diss. prelim. usus moderni ff. §. 27.
- c) in Diss. de Jure Justin. in German. recept.
- d) ad Jus Lubecense part. 2. Tit. 2. Art. 28.
- e) cit. tractatu § loco num. 87.
- f) in consil. Altorf. 74.
- g) Lib. 3. obs. 24.
- h) Lib. 2. obs. 98.
- i) in analectis ad Struvium Lib. 23. Tit. 2 §. 23.
- k) ad Novellas cap. 5. num. 15.
- l) Vol. II. Consil. 1. num. 392. seq.
- m) ad Carpzovium parte 2. consil. 43. def. 17.
- n) in Diss. de lege, clausula ne abrogari possit munita scđt. 2. §. 23
- o) ad Jus Lubecense parte 2. Art. 12. Tit. 2. num. 30.
- p) in usu moderno ff. Tit. de Ritu nuptiarum §. 33.
- q) Lib. 2. Consil. 381. num. 49. § consil. 353.
- r) parte 3. obs. 55 § 120.
- s) parte 3. obs. 120.
- t) in Consiliis Lauterbachianis Vol. II. Consil. 164. num 18. seq.
- u) Tom II. parte 1. Respons. 1. num. 17. seq.
- w) Tom. I. Resp. 74. num. 11.
- x) in Medit. ad ff specim. 300. med. 9.
- y) in observationibus selectis ad Chriftinai decis. obs. 72.

§. XXII.

§. XXIII.

Ex his adductis, argumenta dissentientium sponte sua corruunt, tantum enim abest, ut rationes Romanos Legislatores ad defendendos prioris matrimonii liberos, contra parentum suorum, ad secundas nuptias convolantium, intemperatam donandi & testandi licentiam impulerunt, apud Germanos sibi locum non vindicent, ut potius teste experientia hodie pariter militent, & in conjugibus binubis deprehendantur, virtus enim durant, donec homines, recte observantibus JCTis Halensibus apud Illustrem BOEHMERVM a) nec potest dici, rationem Romanos ad hoc statuendum impellen-
tem, ipsis & statui illorum fuisse propriam. Nuptiae secundæ quoque Germanis non minus odio habentur ac Romanis teste HEINECCIO b). Afferi etiam non potest, Jure Canonico penas omnes secundo nubentium penitus esse exulare jussas, cum hoc jure soluim poena infamiæ, viduæ durante adhuc anno luctus ad aliud thorum provolanti in legibus Romanis sancta, abolita fuerit, nunquam autem a remissione penarum infamiæ ad sublationem omnium reliquorum in favorem liberorum primi thori sanctitorum privilegiorum, recte argumentamur, docente GONZALEZ c) & Illustri REINHARTHO d).

- a) Tom. I. Resp. 868. num. 17.
- b) in Elementis Juris Germanici lib. I. §. 319. in nor.
- c) ad e. c. X. de secundis nuptiis.
- d) in obs. ad Chritstinei decis. obs. 72.

§. XXIV.

Usum practicum ex rationibus, ni fallimur, sat
E 2 prægnan-

prægnantibus ac pro lege nostra militantibus, docui-
mus, ita ut non opus videatur, autoritatibus & præju-
diciis illum insuper fulcire, quoniam tamen multum
conducit, & illustrationi & majori corroborationi in-
servit, operæ pretium erit, Responsi J Ctorum Geetting-
ensium Mense Aprili 1741. elaborati hic inferre ratio-
nes apud illustrēm REINHARTHVM a) sequenti modo
relatæ: Dennoch aber und dieweil in allhiesigen Königli-
chen und Chur-Braunschweigischen Landen, denen Römi-
schen Rechten, in Ermangelung eines dagegen eingeführten
Provincial-Gesetzes, statuti oder Gewohnheit, schlechter-
dings in denen Justiz-Collegiis nachgegangen wird, also
wohl zu glauben, daß dasjenige, was zum faveur derer
Kinder erster Ehe, in

I. 6. C. de secundis Nupt. in Novell. 22. cap. 27.
oben angeführter maßen enthalten, vor keinesweges abge-
schafft, oder nicht recipirt gehalten, sondern darauf bey vor-
fallenden Casu gesprochen werden würde, da zumahl ver-
schiedene Rechtsgelehrte auch Saxonici selbst, den allegir-
ten legem nicht vor unbillig, sondern den Kindern erster
Ehe sehr favorabel halten, mithin daß ausser Sachsen in
foris Juris communis, deficiente lege provinciali vel
statuto vel consuetudine contraria, darauf allerdings ge-
sprochen werden müsse, zu behaupten suchen,

L. B. de WERNHER. p. 3. obs. 55. § 120.

LEYSER Spec. CCC. Medicatione 9.

*HERTIVS Diff. de lege, clausula: Ne abrogari
possit munita sed. 2. §. 2.*

wenn gleich der überbleibende Ehegatte aus den Vermögen
des vorigen Mannes nichts erhalten,

LEY-

LEYSER spec. CCC. Medit. 9.

in dem Jure Canonico auch eine völliche Aender- und Aufhebung, derer in favorem liberorum prioris matrimonii, in poenam conjugum secundo nubentium Jure Codicis bestudlicher Verordnung in denen allegirten

cap. 4. § 5. X. de secundis nuptiis

keinesweges, sondern nur so viel zu befinden, daß die intra annum luctus nubentes viduae nicht vor unehrlich und infam geachtet werden solten

GONZALEZ TELLEZ in cap. 5. X. de secundis

nuptiis n. 9.

So halten wir dafür, daß zwar der Semproniae Intention, einem jeden derer Kinder erster Ehe nur 250. Thaler als den Drittel ihres sämtlichen Vermögens, das übrige aber alles ihren andern Ehemanne zu vermachen nicht unbillig, dennoch wenn sich die Kinder oder Tutores auf diesen I. 6. C. de secundis nuptiis vermaleins berufen, mithin deshalb Process erregen solten, der Ehemann dagey völlig gelassen zu werden, keine Sicherheit, sondern zu gewärtigen haben dürfte, daß ihm nach Inhalt dieses I. 6. C. de secund. nupt. ein mehreres nicht, als was jedwedes Kind loco legitimæ erhalten, zugesprochen würde. V. R. W.

a) in obs. ad Christinae decis. obs. 72.

S. XXV.

Ostendimus huc usque, quinam genuinus sit legis nostræ sensus, unacum usu tam theoretico quam pratico, nunc ordinis rationem futuri, contraria illius tradamus, seu investigemus, casus in quibus dispositio illius, locum non invenit. Pertinet huc in genere, quando communio bonorum inter conjuges obtinet,

E 3

sive

five sit universalis, five ratione solius acquæstus particularis locum sibi vindicet, tali enim casu conjux semper plus capit quam unus ex liberis prioris matrimonii. Ubi communio bonorum universalis illimitate obtinet, controversiæ, quæ circa illam obveniunt, ex regulis societatis regulariter sunt discutiendæ, ejusdemque iidem sunt effectus, qui in alia societate & communione deprehenduntur. Aliquando tantum certa bona, vel acquisita tantum communia sunt, in quibus tamen nihilominus cessat legis nostræ usus, quia & hic plus capit conjux, quam unus ex liberis, diversitas siquidem jurium hoc importat, jure enim Romano, ex quo lex nostra natales dicit, nulla est bonorum, sed tantum corporum & animorum societas a) jure Germanico vero in alia omnia eundem est, utut enim ea tempestate, qua jus Romanum in Germaniam nostram paulatim invectum, haud pauca provinciarum & civitatum Germanicarum prisca circa communionem bonorum instituta deseruerint, atque Romanorum placita adoptaverint, in multis tamen adhuc Germaniæ provinciis ea obtinet, vid. HEINECCIVS b) in quibus obtinet, non potest fieri non, nisi ut repudium det legi nostræ, distinctionem conjugum bonorum indolem supponenti.

a) l. 1. ff. rer. amot. l. 4. C. de crim. expil. bered.

b) in Elementis juris Germanici lib. i. Tit. 12. §. 262. seq.

§. XXVI.

Deinde quoque exulet legis nostræ dispositio, necesse est, quando in casu existantium prioris thori liberorum conjugi in portione statutaria (quæ in locis, in quibus cessat communio bonorum in illius locum succedit) lucrum tribuitur, in quo amplius continetur, quam

quam unus prioris thori liberorum est consecutus, statutum enim tanquam jus patrium legem Romanam prorsus vincit, præterea statutum in re mere Germanica, qualis est sine dubio portio conjugum statutaria, haud quaquam ex jure communi Romano suppleri vel declarari debet, docente Illustri BOEHMERO a) cum alias utraque jura mirum in modum misceantur, & incertissimum judici reddatur, quam normam sequi debeat vel relinquere, siquidem oppido falsum est, quod multis arrisit brocardicum: statuta ex jure Romano esse superplenda & interpretanda.

a) in *Diss. de success. hered. conjug. ex paſt. dot. cap. 2. ſ. 5.*

§. XXVII.

Sic quoque in Saxonia superiori nostræ legis usum vel ideo exulare necesse est, quod ea cum jure Saxonico provinciali ibidem retento, stare nequeat, utpote quo fancitum est a) ut omnis maritus sive sit binubus nec ne, heres omnium uxoris mobilium, cum exclusione liberorum habeatur, atque adeo plus lucri regulariter capit, quam liberi ex primo uxoris thoro geniti, ex quo parrem facultatem marito binubo uxori per paſta dotalia vel ultimam voluntatem proſpicendi, uſus fori Saxonici induſtit, quod & iniquum dici non potest, sed potius æqualitatem jurium & benefiorum fundamento habet, atque id intendit, ut mutuus amor inter coniuges magis magisque hoc modo promoveatur, ac invicem compensetur, conf. CARPZOV. b)

a) *Lib. 3. Art. 36.*

b) *parte 2. Conſt. 43. def. 17.*

§. XXVIII.

Nec minus locum non esse legi nostræ, ipsa rei natura & indoles ostendit, quando omnes liberi, ex iusta

sta & legibus probata causa, exheredes sunt scripti, si quidem lex nostra supponit semper vitricum vel novercam cum liberis prioris matrimonii concurrentes, exhereditati autem, quoad passum successionis habentur pro nullis, ex quo sponte sua sequitur, novercam vel vitricum exesse posse heredes institui, cessante enim legis ratione, illius etiam dispositio cesset, necesse est, lex enim respicit favorem liberorum prioris thori, quibus exhereditatis & civiliter non amplius existentibus, favor etiam locum non invenit, quoniam non entis nullae sunt affectiones.

§. XXXI.

Denique usus legis nostræ cessat, quando conjux sive sit vitricus vel noverca illud quod amplius accepit, non titulo lucrative sed oneroso accepit, addita nimirum lege, ut illud quod plus est in fundo vel prædio vitrico vel novercae relitto prævia facta taxatione liberis prioris matrimonii parata pecunia solvatur, & inter illos dividatur, quo in casu non habent liberi, de quo querelas moveant, lex enim solum contendit, ne plus lucri in præjudicium liberorum prioris thori vitricus vel noverca capiant, ea vero quæ parata pecunia solvuntur, neutiquam lucris annumerari possunt, quamobrem recte rationes subduxit BRVNNEMANNVS a) putans ad onerosum contractum hanc legem non posse extendi.

a) ad L. b. C. de secund. nupt. §. 5.


§. XXX.

Temporis & instituti ratio nobis non permittunt, ut lazieri filo argumentum hoc pertractemus, & extra oleas vagemur, speciminis Academici limites insuper habendo, utrum causa haec a nobis bene vel male acta fuerit, lectorum dijunctioni integrum esto, in votis solummodo habentes, ut ea, quæ in medium prolata sunt, in meliorem partem interpretentur.



Erfurt, Diss., 1748-51

X 2387035



1749, 1 Erg. num. 32

DISSERTATIO JVRIDICA
DE
CONJVGE BINVBI
VEL
BINVBAE EX BONIS HVJVS
NON PLVS CAPIENTE,
QVAM ALIQVIS LIBERORVM
PRIORIS MATRIMONII MINIMAM
PORTIONEM ACCIPIENS,
ad l. 6. C. de secundis nuptiis.

QVAM
DIVINO ANNVENTE NVMINE
CONSENTIENTE
ILLVSTRI JCTORVM ORDINE
IN PER-ANTIQA ELECTORALI ACADEMIA
ERFVRTENSI,
P R A E S I D E
PRAENOBILI ET CONSVLTISSIMO VIRO
DN. RVDOLPHO CHRISTOPH.
HENNE,
JVRIS VTRIVSQUE ET PHILOSOPHIAE DOCTORE, NEC NON INSTITVTIONVM
IMPERIALIVM PROF. PVBL. ORD.
DIE IX. JVLII M DCC XXXXIX.
IN AUDITORIO JVRIDICO COLLEGII MAJORIS
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT
JOHANNES ZACHARIAS SCHROETER,
ERFVRTENSIS.

E R F O R D I A E,

EXCVGIT JOH. CHRISTOPH. HERING, ACADEMIAE A TYPIS.

